

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 7813

**Auteur(s) :** Nicolas Rebellon d'Anguerny [clerc]

**Bénéficiaire(s) :** Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1257

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Nicolas Rebellon, clerc, cède à l'abbaye de la Trappe son hébergement d'Anguerny en échange, d'une pièce de terre dans le territoire dudit Anguerny, de cent sous tournois et d'un cens annuel de six deniers.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, E. « De Cadumo et Normannia », n° II (« Carta Nicholai Rebellon »), p. 152-153.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, presentes et futuri, quod ego, Nicholaus Rebellon, de Agerneio, clericus, tradidi et concessi viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa, cisterciensis ordinis, pro excambio cujusdam petie terre quam dicti monachi habebant in territorio de Agerneio, inter duas vias, inter terram Ric[ardi] Restout, ex una parte, et terram predicti ejusdem Nicholai ex altera, sicut se protendit in longum et latum, et pro centum solidis turonensium quos ab eisdem recepi, et pro sex denarios monete currentis in Normannia, annui et perpetui redditus, michi et meis heredibus annuatim in festo sancti Michael persolvendis, totum herbergamentum meum, quod tenuit Thomas Buignon de antecessoribus meis, apud Agerneum, situm juxta herbergamentum dictorum monachorum ex una parte et gardinum Hamelini Le Bohart ex altera, sicut se protendit in longum et in latum, tenendum et habendum sibi in perpetuum, sine contradictione aliqua mei vel heredum meorum, libere, pacifice et quiete, et jure hereditario possidendum, salvo jure capitalis domini, reddendo inde annuatim michi et heredibus meis predictos illos denarios a dictis monachis pro omnibus, et ego, predictus Nicholaus, et heredes mei similiter dictam petiam terre, michi et heredibus meis a dictis monachis pro dicto excambio traditam, in perpetuum possidebimus libere et quiete, sicut eamdem dicti monachi possidebant. Et tenentur michi prefati monachi et meis heredibus ipsam petiam terre garantizare et defendere contra omnes et ab omnibus in omnibus liberare. Similiter ego, predictus Nicholaus, et heredes mei, tenemur dictum herbergamentum a me, sicut predictum est, dictis monachis traditum, garantizare, defendere contra omnes per predictum redditum et ab omnibus in omnibus liberare, ita tamen quod, si impedimentum exinde deveniret, ut unusquisque ad suum excambium remearet. Ut autem hec omnia, etc... Actum anno M° CC° L° septimo.